DE

CARDIALGIA

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

NIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

UT

MMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA

ONORES RITE SIBI CONCEDANTUR

IE XVI. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

OANNES FRIDERICUS PUNDT

CONITZIENSIS

OPPONENTIBUS:

G. T. HILBERT MED. DR.

C. F. DOERING MED. DR.

E. CABLER MED. CD.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

VIRIS

CONSULTISSIMIS, GRAVISSIMIS, AMPLISSIMIS

MAGISTRATIBUS

URBIS CONITZIAE

DE SE BENE MERITIS

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

GRATISSIMO ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Introductio.

Ventriculus multis morbis obnoxius est, quorum rrdialgia vix non frequentissimus ac molestissimus se solet, quam ob rem non alienum duxi, in dissertione mea inaugurali quaedam circa eius naturam edelamque exponere.

Morbum huncce variis nominibus ab auctoribus signari, novimus; eorum fere usitatissima sunt: caralgia, gastrodynia, spasmus ventriculi, periadynia, rdilaea, dyspepsodynia, morsus s. rosio stomachi, lica s. cardiogmus ventriculi, morbus s. passio caraca.

Omnia fere haecce nomina incongrua esse videnr, quippe quae morbi indolem, id est spasmum, pam luculenter notant, Cardialgiae vox apud scripres frequentissime obvia est, licet haec quoque mis convenire videatur. Auctores citra dubium caalgiae vocabulum derivarunt a graecis καρδία, cor,

et ἄλγος, dolor, quapropter cordis dolor significari videtur, perperam tamen, quum ventriculo potius quam cordi ista affectio tribuenda sit.

Ut limites huius dissertatiunculae strictius determinentur, sequentia praemittantur, necessarium puto.

Permulti auctorum cardialgiae nomine unumquemque regionis gastricae dolorem significant, praetermissa consideratione, quam gradus atque mora eius expostulat, nec non symptomata eum concomitantia, et causae requirunt.

Optimum duco, dolorem ventriculi, (gastrodynia) spasmum ventriculi, (cardialgia) et sodam, (Pyrosis s. ardor ventriculi) rite inter se distingui.

Gastrodynia praesertim dolores ventriculi fugaces variis effectos iniuriis, denotat; cardialgia magis paroxysmos doloris gastrici periodicos atque chronicos, cum spasmodica ventriculi constrictione, significat; pyrosis denique a quibusdam auctoribus 1) gradu tantum a cardialgia diversa existimatur. Haud inficias quidem eundum est, pyrosin subinde in cardialgiam converti, ex his tamen ratiocinandum non est, differentiam utriusque affectionis in gradu tantum positam esse; quod si esset, pyrosis nunquam cardialgiam comitaretur; quod interdum fieri, experientiae testimoniis confirmatur. Porro dolore quidem pyrosis stipatur, verum tamen cardialgia saepenumero sine pyrosi incursat.

---

1) Kurt Sprengel's Handbuch der Pathologie. 3 Thl. p. 153.

Symptomata cardialgiae.

Symptomata cardialgiam comitantia pro gradu discrepant. Si levior est morbus, dolor premens, attamen continuus, partem ventriculi aliquam, utplurimum exiguam, infestat, qui sub finem diuturnitate sua acerbissimus evadere potest. Sin morbus graviorem indolem adsciscit, aegrotus tanto ac tam constringente dolore afficitur, ut corpus contorqueat, summamque oppressionem et anxietatem conqueratur. Ad summum morbi fastigium symptomata spastica et convulsiva totius corporis adiunguntur; pulsus parvus atque spasmodicus, dyspnoea, algor artuum, pallor faciei, sudor frigidus, dolores colici, spasmus pharyngis, vomiturio, singultus, vomitio, vertigo, animi deliquia, et convulsiones plerumque superveniunt. Si cardialgia atrocissima vexat, dolor circa columnam vertebralem, in regione postremarum vertebrarum pectoralium, sentitur, et ad scapulas usque porrigitur.

Insultus cardialgiae nunc per quartam horae partem, nunc per integram horam persistunt, imo adeo per plures dies atque hebdomadas ita protrahuntur, ut remissiones intercurrant 1); saepissime per intervalla revertuntur, typoque constanti adstringuntur.

Morbus iste citra dubium pertinacissimis adnume-

1) Haase über chronische Krankheiten. II. Thl. §. 48.

randus est, quippe qui per annos subinde protrahitur, habitualis evadit, et post longas intermissiones, si quaedam iniuriae intercurrebant, revertitur.

Inter insultus cardialgiae, praeprimis atrociores, haud raro pyrosin observari, supra positum est. Aegrotus circa superius ventriculi ostium atque inferiorem oesophagi partem, vehementem sentit ardorem, tanquam vapor calidus ex ventriculo sursum adscendat. Si atrocitas mali praeter modum intenditur, sensatio ista per totum oesophagum porrigitur, interdum materies acerrima, rancida, acidaque evomitur, quae citra affectionem nauseosam cum ructu quodam vehementiori in os assurgit.

Causa huius perturbationis in acrimonia, ventriculo inhaerenti, consistit, quae vel pravitate alimentorum, aut vitio virium, digestioni praefectarum, inducitur. Alimenta nocent, quae antea iam corrupta, vel ad corruptelam opportuna, largius assumuntur, quo fit, ut eorum depravatio actionum vitalium reluctatione impediri nequeat; idem accidere potest, si immodica aquae copia deglutitur, quae succum gastricum adeo diluit, ut vires ad concoctionem necessarias exuat. Haud raro causa huiusce vitii in ipsa vitalium functionum conditione collocetur, necesse est. Ventriculi debilitas cum adaucta sensibilitate, succi gastrici secretionem adeo pessumdare potest, ut legitimum oxydationis gradum excedat. Haec acidi gastrici evolutio cardialgiam ita inducere potest, ut protinus ab initio simultanea cardialgiae et acrimoniae symptomata superveniant. Saepissime tamen acor ille inter ipsum

roxysmum nascitur, si vis vitalis male affligitur, so-
ieque signa tardius in lucem prodeunt.

Vomitus vel ab initio accessionis, vel sub finem us existit. Hoc facile est intellectu, si meditamur, omitum ex motu antiperistaltico, a pyloro inde aut uodeno initium capere, cardialgiam vero firmam usculorum constrictionem causari, eosque expansioni npares reddere. Ubi vomitus incidit, ingens copia umorum acrium, acidorum, putridorum vel ex nauoso insipidorum, aliave contenta ventriculi eiiciuntur.

Symptomatis cardialgiae accidentalibus aphthae is adiudicandae sunt, nec non haematemesis et epiaxis huc pertinent, quippe quarum origo a conquastione per vomitum inducta dependere consuevit.

Diagnosis.

Diagnosis huius morbi symptomatibus supra enueratis quadantenus stabilitâ est. Criteriis eius essenalibus utplurimum accenseri solent: dolor infestus, ntriculum constringens, anxietas, ac levamen, quod mpressa ventriculi regione sentitur.

Quae symptomata, quamvis omnes et singulas caralgiae species comitari soleant, pro vario tamen orbi gradu maiorem minoremve atrocitatem ostenınt, aliisque phaenomenis sese coniungunt. Inten-

siori scilicet cardialgiae indole, nausea, conatus vomendi, nonnunquam vomitus ipse, ardor ventriculi, vertigo, sudores frigidi, pallor faciei, algor partium extremarum, atque indicia spasmi latius propagati oboriuntur; pulsus contractus irregularis, ceteroquin autem maximam partem normae suae congruus est; urina aquosa, artuum tremor, cordis palpitatio, orthopnoea, singultus, faucium et pharyngis constrictio divexant; dolor non solum ventriculum opprimit, verum etiam in colo tranverso, in pectore, praesertim sinistro in latere, ac in dorso desaevit. Regio ventriculi tactu dolet, positus corporis erectus malum exasperat, quamobrem aegrotus, angore et cruciatu misere vexatus, contorto corpore procumbit.

Cardialgia cum affectionibus dolorificis vel ipsius ventriculi, vel partium finitimarum confundi potest. Breviter enarrabo, quibus notis illae affectiones similes dignosci atque distingui debeant.

a. Ventriculi inflammatio. Dolores e gastritide profecti, ardentes pungentesque sunt, nec non pressu, ad ventriculi regionem admoto, haud mediocriter intenduntur; sitis inexpugnabilis aegros torquet; vomitus tam atrox est, ut unumquodque medicamentum, si blandissimum sit, extemplo reiiciatur; vomitus continuus nihil infert levaminis, imo adeo dolores quam maxime exasperat; praecordia calent; signa febrilia ex pulsu, urina, corporisque temperie cognoscuntur; morbus nec remittit unquam, nec intermittit, sed eadem cum saevitia perseverat; viresque aegrotorum celerrime prosternit.

Dolor vero, quem cardialgia movet, minus pungens quam contrahens premensque esse solet, pressu regionis gastricae mitigatur; sitis vel nulla, vel perexigua, vomitus non semper existit, idemque, si quando incidit, tantum abest, ut dolores intendat, ut eos potius sopiat.

Praecordia, si dolent, tactu non calida, pulsus ad normam respondent, raroque spasticae indolis sunt; praeterea consideranda veniunt: urina aquosa, temperies corporis non adaucta, sed interdum adeo diminuta, decursus morbi chronicus, lenta virium inanitio, typus intermittens, et causae praecedentes.

b. Hepatis et diaphragmatis inflammatio. Neutra earum cum cardialgia facile confunditur, quum et sedes doloris, et febris ratio, nec non decursus acutus, aliaque signa proprii generis diagnosin abunde stabiliant. Eadem dicenda sunt de aliis affectionibus dolorificis, verbi causa rheumaticis etc.

c. Dolores colici; cum his facilius confundi potest cardialgia; tum propter promiscuam vocabulorum cardialgia et colica significationem, tum ob ambitum et exiguam perspicuitatem dolorum; quod eo facilius evenit, quum coenaesthesis dolore acerbiore quasi alteretur, multisque hominibus verus ventriculi situs incognitus sit. Verum tamen dolores colici non uno limitantur loco, sed terebrantes existunt; deest pyrosis, nausea, vomitus et constrictio cardiae oesophagique; interim tamen dolores colicos interdum cardialgiam comitari videmus.

Aetiologia.

Causis cardialgiae haec fere momenta interserantur necesse est:

A) Indoles cardialgiae in irritabilitate adaucta nervorum ventriculi, cum abnormi contractione fibrarum muscularium stomachi, praeprimis earum, quae circum cardiam ac pylorum dispositae sunt, consistit.

B) Causas remotas in praedisponentes et occasionales dividere convenit:

a. Causa praedisponens a communi corporis dispositione ad affectiones morbosas dependet, quacum debilitas et sensilitas ventriculi, tubique intestinalis coniungitur.

b. causae occasionales in locales et universales dispesci possunt.

1. Localibus adnumeranda sunt: cruditates vel ex quantitate vel qualitate ciborum exortae, victus dyspepticus, vinum recens et acidum, cerevisia prava, parum fermentata et defaecata, carnes pingues rancidaeqne, opus pistorium, cum adipe oleove rancido apparatum; usus immodicus avium maritimarum pinguium, piscium, carnis suillae, cum abusu spiritus frumentacei. Praeter haec potus nimis frigidus, doses nitri uberiores, emetica purgantiaque, venena, bilis acris in ventriculo collecta, nec non similes materiae, aut vermes intestinorum, calculi biliarii, vitia in ventriculi partiumque finitimarum fabrica; depressio et ininversio

artilaginis xiphoidae rel. cardialgiam causari saepius solent.

2. Causis occasionalibus universis, quae oblata opportunitate cardialgiam facillime excitant, haec accensenda sunt: perfrigerium, animi affectus, ut ira, stomachatio, et terror; excretiones, quibus corpus assuevit, suppressae, v. c menstrua, haemorhoides, pedum sudores; exanthemata repercussa, rheumatismus, arthritis rel.

Non raro inter graviditatem cardialgia exoritur; porro mulierculae steriles, nulli nuptae marito, generatim aetas media frequentius, quam infantia et senectus, ea subiguntur 1).

Plura ad aetiologiam pertinentia medelae huius morbi subiungam.

P r o g n o s i s.

Paroxysmi plerumque sine difficultate sublevantur, aegre autem reversiones caventur. Quo saepius cardialgia corpus iam infestavit, et quasi habitualis evasit, eo facilius certiusque recurrit, eo difficilius sanatur,

---

1) Henke's Handbuch der Pathologie, II. Thl. §. 1131. 1132.

neque remota causa occasionali desinit, sed naturam affectionis mere nervosae induit.

Ceteroquin hoc vitium plus molestiae tormentique, quam periculi offert, verum tamen exitiale etiam evadere potest, si ob curationis idoneae neglectum in veram ventriculi inflammationem abit, vel si ex vitiis fabricae originem traxit, vel denique, si dolorum atrocitas quandam hecticae speciem concitat 1). Rarissime cardialgia per se in mortem finitur, licet Heister exemplum huius nominis proposuit 2).

Quod ad praedictionem singularem pertinet, consideranda sunt:

1. Causae excitantes; an facilius, an aegrius submoveri queant? Hoc respectu ventriculi exonerationes, si praecesserunt, praesagium laetissimum, vitia fabricae autem stomachi partiumque vicinarum funestissimum suppeditant.

2. Maior minorve aegroti opportunitas ad affectiones spasticas cuiuslibet generis.

3. Spatium s. mora morbi.

4. gradus eiusdem.

Mali ominis existimari solent prae ceteris convulsiones universales, animi deliquia, magnusque artuum algor, dolor continuus, atrox, intense urens, circa ventriculi regionem, qui sumtis quibuscunque nutrimentis exasperatur, non nisi pressu externo aliquantulum temperatur, et vomituritionem perpetuam, eiec-

---

1) Richters specielle Therapie. IV. Band. S. 80.

2) Med. chirurg. anatom. Wahrnehm. S. 614.

nemque humoris corrupti, saepe foetidissimi, febrem hecticam comites habet. Signa novissima prae omnibus aliis scirrhum, carcinoma, et ..erationem ventriculi portendere consueverunt.

M e d e l a.

Cardialgiae curatio, uti aliorum morborum, in ..lliativam et radicalem diduci solet.

Quum medicamenta huc spectantia utramque si..l curandi methodum amplectantur, satius existimavi, ..n remediorum divisionem instituere, ut primum ..ponam, quae ad causam proximam, dein, quae ad ..notam respondeant.

..) Remedia causae proximae congruentia.

Medicamenta, huc referenda, antispasticorum no..ne significari, compertum habemus, licet multa eo..n non immediatam, sed relativam tantummodo effi-

caciam in spasmos exserant. Auctores huius generis remedia plerumque eo notant nomine, ut cardialgiae palliativam curationem iis praestari dicant, quamvis inficias non eundum sit, prosperam corporis constitutionem, exactumque horum praesidiorum usum subinde curam aegrotorum radicalem moliri.

Ex innumera antispasmodicorum caterva praeprimis ea recensere liceat, quae a plurimis a coercendam cardialgiam commendata sunt.

a) remedia interna

1. Magisterium Bismuthi s. Bismuthum nitricum praecipitatum, Marcasita alba hispanica.

Odier et de la Roche primi fuerunt, qui usum eius contra cardialgiam periclitarentur. Sententiae medicorum de efficacia huius medicamenti magnopere discrepant.

De la Roche, Odier 1), Hufeland, Reil 2), Baume 3), Carminati 4), Velsen 5), pluresque alii magnam ei virtutem ad cardialgiam debellandam tribue-

---

1) Sammlungen auserlesener Abhandlungen. XII. Bd. 326. S.

2) Memorabil. clinic. Vol. II. Sect. 2.

3) Sammlungen auserlesener Abhandl. XII. B. 568. S.

4) Basseani Carminati opuscula therapeutica Vol. I. Ticini 1788. 8.

5) W. v. Velsen über das Bismuthum oxyd. album und dessen Wirksamkeit etc. in Horns Archiv VII. B. No. 10.

nt, alii vero, ut Conradi et Jahn 1), saepe noxium isse affirmant.

Efficaciae differentia citra dubium a diversitate usarum, quae morbum fecerunt, nec non dosium inarum dependet.

Praestantissimum huius remedii usum ad cardialgiam materialem, nimia ventriculi sensilitate ortam, esse itror; minus cardialgiae respondere videtur, quae debilitate erethica totius corporis originem traxit.

Nimia eius dosis, praeprimis si acidum viis primainest, vomitum, diarrhoeam, vel obstructionem, tiginem atque temulentiam ciet. Simulatque horum nptomatum singula apparent, ab eius usu protinus tinendum est.

Granum eius unum ad quatuor vel sex, ter quae per diem, aut in pulvere, sine additamento, aut ı magnesia carbonica, aut in pilulis, exhibentur. eland ita eo utendum esse dicit, ut granum unum ria vel cum extracto hyosciami vel cum oleo cajeingerantur.

Richter et Reil doses ab initio exiguas, sensim adauctas, convenire existimant.

Neuhoff 2) hoc medicamentum opio nuptum in-

2. Zincum oxydatum album s. Flores zinci.

Minus eorum virtus esse videtur ad profligandam ialgiam, quam bismuthi nitrici praecipitati. Adul-

---

Auswahl der wirksamen Arzneien.
Hufelands Journal. 1811 Juni. p. 24.

tis hominibus grana quatuor ad decem, aliquoties per diem porrecta, congruunt; utplurimum pilularum forma eligitur.

3. Opium. Efficacia eius praesertim ad cardialgiam erethicam et dystrophicam pertinere dicitur; nec non iis in exemplis opium prodest, quibus vel cura radicalis institui nequit, vel ingens dolorum atrocitas promtum levamen expostulat; verum tamen magna observatione opus est, ne incautius propinetur. In cardialgia saburrali, submotis demum sordibus, opium conducit.

Opium vel merum, vel in pulvere Doveri, vel aliis temperatum antispasmodicis, adhibetur.

4. Extractum Hyosciami et Extractum Cicutae subinde laudantur, partimque sola, partim aliis intermixta medicamentis exhibentur.

5. Aër fixus. Insultus hoc remedium, interdum saltem, vel tollit vel mitigat. Assumitur vel in potione Riveri, vel in pulvere aërophoro Vogleri, ad scrup: I cui tantundem Elaeosach. Menthae, et grana II nucis vomicae adiecta sint. Haud minus quoque scrup. I Kali carbonici, in aqua soluti, et protinus inde cochlear maius aceti vini, vel Cyathus vini campanensis hauriri potest.

6. Valeriana. Non solum efficacissimam sese praestat ad inferendum levamen, sed morbum saepe radicitus evertit. Radicis vel drachma I in pulvere, semel, bis, terve per diem, (Conradi) aut in infuso, cum foliis aurantii, et liquore c. c. succinato, vel cum Naphthis, Tinctura opii etc. (Haase) applicatur; Tinctura valerianae et Quassiae cum Spirit: sulph: aethe-

o, (Gruner) cum Oleo Cajeput, (Weikard) cum asa etida. (Conradi)

7. Moschus, Asa foetida, et Castoreum valenimum saepe subsidium praebent, multisque ab aucibus magni nominis ad cardialgiam commendantur; a foetida ab Hornio etiam efficacissimis anticardialcis accensetur.

8. Vinum generosum, omnibus in exemplis, qui irritantia non contraria sunt, multum laudis hoc ilium meretur (Haase, Riedel)

9. Camphora, in aethere soluta, tum praecipue usu esse videtur, si cardialgia ab exanthematibus ercussis, vel ex debilitate, per onaniam inducta, inem hausit.

10. Naphthae. Applicandi ratio ea est, ut in alibus cardialgiae gradibus cum aqua Menth. piperit. bus naphae, similibusque aquis aromaticis propiur.

11. Emetica a quibusdam laudata sunt, neque tra in usum vocari videntur, si causae materiales cardialgico subsunt, quae eliminentur necesse est. nter ipsum paroxysmum induntur, facile nocent; icta ventriculi sensilitas, vomitioque difficilis, usum m vetant.

b. remedia externa.

Remedia huius generis non solum eximia pollent te, sed saepe etiam celerius et promtius cardial- compescunt, quam interna. Huc referri oportet:

1. Vesicantia et rubefacientia, circa ventriculi reem apposita; usus eorum egregius esse solet, eo

magis, si cardialgia ad statum inflammatorium propendet.

2. Fomenta calida aromatica, vel humida, vel sicca, regioni gastricae admota.

3. Inunctiones regionis gastricae ex linimento volatili camphorato, cui opium vel oleum hyosciami additum sit. Porro lavacra ex vino calido, Spirit. vini, Spiritu camphor, aqua coloniensi, et vino herbarum commendanda sunt.

4. Emplastra circa ventrem iniecta v. c. emplastr. de galbano crocato, sale volatili C. C. opio, et pulvere cantharidum.

5. Fotus praecordiorum, ope ferri, aut lapidis calefacti, linteorumve convolutorum, et in regione ante dicta positorum

6. Compressio ventriculi, quae saepenumero multum levamenti aegrotis suppeditat.

7. Balnea calida totius corporis aromatica et kalina; pediluvia e cineribus, sinapi, natro muriatico; his praeprimis tum locus est, si sudores pedum repressi sunt.

8. Denique auxiliis enumeratis superaddi possunt frictiones, Magnetismus animalis, Electricitas, Galvanismus atque Perkinismus.

B) Remedia in causas occasionales agentia.

Ad sanationem cardialgiae praestandam medicum praesertim dispicere oportet, ut causa occasionalis estigetur; quod si ita contigit, ut abolitio eius si- l effici possit, salutis futurae spes affulget.

Verumtamen exploratio causae occasionalis multis e difficultatibus premitur, quum pauci existant ma- ales stimuli, qui cardialgiam concitare non valeant. Quemadmodum causae, frequentissime cardial- n cientes, curandae sint, breviter exponere studebo.

1. Sudores pedum suppressi. Hanc causam sus- ri oportet, si initium cardialgiae in illud tempus dit, quo sudores pedum foetidi, in consuetudinem ucti, repressi sunt. Hoc in casu non solum inter- ut pedes iterum sudorem edant, sed sudor ipse ram peculiarem, foetidam, quam antea habebat, se ferat.

Ad redintegrandos sudores pedum repercussos op- um esse videtur, si pedes per noctem involucris e o cerato foveantur, interdiu vero soleis antirheu- cis Schellenbergii muniantur. Longe autem con- entissimum esse puto, si pedes in saccum, maltho nti calido, vel foliis betulae refertum, immittan- Ad usum internum antispastica diureticis nupta,

v. g. aqua calcis, aut sapo, Extr. trifolii febrini, cum Extrc. hyosciami proficua existimantur.

2. Rheumatismus. 1) 2) Refrigerium praegressum praesertim regionis epigastricae, potus frigidi haustus post aestum, dolores rheumatici, vel praevii, vel cum ventriculi dolore alternantes, licet per se exigui, constitutio aëris epidemica, aut endemica, exacerbatio morbi tempestate humida atque frigida, hancce causam praecessisse, portendere solent.

Remedia in usum vocanda, maiori minorive stomachi sensilitati respondeant, et si haec nimia est, suspensa manu adhibeantur necesse est, ne gastritidis periculum oboriatur.

Curatio vix alia requiritur, ac ea aliorum rheumatismorum longorum.

Extrinsecus Vesicatoria, quam diutissimam suppurationem moventia, inunctiones ex tinctura cantharid. Spiritu salis ammoniaci, Opodeldoc, unguento Authenriethii, porro Emplastr. de galbano crocato, sale volatil. C. C. opio, et pulvere cantharidum, regioni epigastricae super impositum, prosunt.

Intrinsecus Camphora cum mercurio dulci, Extract. aconiti, in vino stibiato solutum, porro Liquor C. C. succinatus, aliaque commendanda sunt.

3. Faeces induratae in colo transverso 3).

Excretio alvi perturbata, opportunitas ad obstruc-

---

1) Lentins Beiträge zur Arzneiwissenschaft. p. 213.

2) Kerkzig in Hufelands Iournal. 1813. S. 11. p. 205.

3) Lentin in Hufelands Journal. B. I. St. 2. p. 186.

nes ventris, flatus retenti, dolor regionis epigastri- continuus, levis premensque, qui sumtis cibis ad- etur, defectus symptomatum gastricorum, lingua que oblimata, neque signa affectionis spasticae ve- v. c. neque pulsus durus, parvusque, nec lotium lidum; prae ceteris exacta imi ventris exploratio, ue tumorem, circa regionem coli transversi segrega- , pauloque mobilem nobis offert, quo compresso ores augentur, faeces induratas significant.

Usus continuus clysmatum, ex herbis emollienti- , tartaro stibiato, imo ex absudo foliorum nicotia- ; intus cathartica paulo valentiora, prae ceteris pi- ue ex resina ialappae, et sapone, administranda t; inter haec inunctio oleorum emollientium et an- asmodicorum ad regionem, quam induratio obsidet, non frequens corporis exercitium optime conve- nt.

4. Haemorrhoides et menstrua repercussa. Dis- itione oblata, ventriculi spasmus facile nascitur, molimina haemorrhoidalia, vel fluxus haemorr- dalis ipse, reprimuntur. Vitium hoc in casu atro- imum est, et perperam curatum promtissime in ritidem convertitur; eadem de monstruatione sup- ssa dicenda sunt.

Medela sanguinis missiones ex pede, hirudines ad vam, femora vel anum appositas, clysmata, pedilu- irritantia, vesicatoria, regioni gastricae superin- a, emulsiones antiphlogisticas et similia requirit.

5. Vermes. Diagnosis vermium ex notis sympto- ibus, in tubo intestinali obviis, deducitur..

Opportunitate ad cardialgiam data, facillime vermes hocce vitium concitare videntur, si famelici sunt, et victum appetentes, in superiorem sensilioremque tubi intestinalis partem, imo adeo in ventriculum irreptant.

Huc primum anthelmintica efficaciora, dein ad evacuandos vermes interfectos, laxantia, aut emetica spectant.

6. Acidum ventriculi. Morbus plerumque eiusmodi esse solet, ut dolores paulo post cibos, mane assumtos, ordiantur, sensationem prementem atque ardentem moveant, magis magisque increscant, et denique eo usque progrediantur, ut crebris cum ructibus aquae acidae limpidae maior minorve copia in os assurgat, quo facto nonnihil levamenti percipitur.

Ad exstinguendum hocce acidum potissimum magnesiae cum lacte sulphuris scrup. I. mane vespereque haustum, inservit. Ne acidum renascatur, praecipue amara in usum sunt vocanda, v. c. quassia cum aqua calcis infusa, Tinctura quassiae ad guttul. 80. Sub his victus diligentissime moderandus est.

7. Exanthemata chronica suppressa. Inter haec proximum est, ut eruptio exanthematum ad cutem restituatur. Praeterea balnea sulphurosa tepida, praesertim artificialia, vel naturalia quoque, intus Kali sulphurat: ad grana quinque, ter aut quater quotidie datum, vel solum in emulsione, vel cum camphora, guaiaco aliisque coniunctum, prodest.

8) Incitamenta biliosa. Haec causa non solum creberrima, sed eo facilius suspicanda est, si primus

ardialgiae insultus gravem stomachationem subsecutus est.

Emeticum, cessante paroxysmo propinatum, egregie saepe opitulatur, nec raro medelam radicalem praestat. Quodsi vitium iam diutius tenet, sensim sensimque affectionis nervosae naturam induit, ac pertinacissimum evadit, quamobrem antispasmodica exhibeantur necesse est 1).

9) Vitia in fabrica, vel ventriculi, vel partium finitimarum. Si hunc fontem cardialgia agnoscit, quod saepius evenit, plerumque immedicabilis esse consuevit. Aegrotus pauca tantum nutrimenta, et ea solummodo haurire potest, quae fluidiora sunt, etenim si solidiora ingeruntur, spasmus ventriculi et vomitus intenduntur.

Dolores huius generis, utplurimum atrocissimi, remediis oleosis, mucilaginosis, opio et hyosciamo iunctis, nec non vesicatoriis, regioni epigastricae superimpositis, sopiendi sunt.

Ut cura radicalis tentetur, intus antimonialia, mercurialia, saponacea, narcotica, acria, extrinsecus inunctiones linimenti ammoniat. camphorati, empl. conii, unguent. neapolit. Cataplasmata et balnea tepida, administranda sunt.

---

1) Hufelands Journal. B. 4. St. 1. p. 191.

Regimen diaeteticum.

Ratio victus idonea ad compescendam cardialgiam summi est momenti, quippe quae, si negligitur, conamina medici plerumque irrita reddit.

Potus calidi ac spirituosi, cibi dyspeptici et acrius conditi evitandi sunt. Carnes plerumque melius, quam vegetabilia, aegrotis conducunt. Alimenta leviter nutrientia, ut ova, pisces et venatio, facillime sustinentur. Nonnunquam insultus idiosyncrasia quadam adversus victum, ceteroquin innocentem, excitatur, v. c. usu nonnullorum olerum, pomorumque dulcium. Haec exactissime cavenda esse, per se patet. Reliquum aegroti regimen ita moderandum est, ut somnus neque nimis longus, neque brevis sit, corpusque saepius quidem, sed modice sub dio excercitetur. Denique omnes animi affectus, perinde ac refrigeria, aliaeque iniuriae, cautissime a corpore arcendae sunt.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego, Ioannes Fridericus Pundt, Conitziae, Borussiae occidentalis oppido, a. d. XIV. Cal. Novembr. anno millesimo septingentesimo nonagesimo tertio natus, et confessioni evangelicae addictus sum. Primam aetatis partem in domo paterna transegi, ibique literarum principia, quae pueris impertiri solent, hausi.

Ut vero animum disciplinis sublimioribus imbuerem, scholam urbis patriae adii, et per sexennium continuum frequentavi, nec solum linguis vetustioribus verum etiam aliis doctrinis vacavi. Anno

MDCCCXII in nosocomio Neuenburgensi chirurgi munus suscepi. Quo sublato Berolinum profectus, et anno MDCCCXIV alumnis academiae militaris medico-chirurgiae adscriptus sum. Bello conflato, chirurgi munus obii. Bello finito ad academiam militarem medico-chirurgicam redii, et per biennium ac semestre litteris colendis operam navavi. Deinde, ut militiae satisfacerem, apud Borussorum exercitum nomen meum professus, chirurgi munera feci. Elapso militiae tempore, et missione impetrata, Rectore magnifico Cel. Lichtenstein, die vicesimo quinto mensis Novembris MDCCCXX in numerum civium academicorum acceptus sum. Praeter lectiones publicas, quas audire mihi contigit, hasce privatas audivi: de hodegetice, logice, pyschologia B. Kiesewetter; de pharmacologia et botanice Ill. Link; de physice et chemia experimentali, nec non pharmacia Cel. Turte; de Anatomia universa, Encyclopaedia medica et physiologia Ill. Rudolphi; de osteologia, syndesmologia, splanchnologia, medicina forensi, et arte formulas medicas conscribendi, Ill. Knape scholas adii, iidemque viri Illustres exercitationibus anatomico-practicis in theatro anatomico me imbuerunt. Materiam medicam et physiologiam Cel. Osann; pathologiam et therapiam tum generalem, tum specialem, nec non semioticen Cel. Hufeland iun.; therapiam specialem Perill. Hufeland; morborum syphiliticorum curam Ill. Horn me docuerunt. In chirurgia generali, ophthalmiatrice, curandis ossium fracturis et luxationibus, morbis ossium dynamicis, akiurgia, et doctrina de angiectasiis Ill. Graefe; in chirurgia generali, akologia, et ossium fractorum luxatorum-

que curationibus Cel. Kluge: in chirurgia speciali et akiurgia Ill. Rust; in arte obstetricia tum theoretica tum practica Ill. de Siebold mihi praeceptores contigerunt.

Denique de medicis policlinicum Perill. Hufeland, et institutiones clinicas Ill. Horn, de chirurgicis vero clinicum ophthalmiatrico-chirurgicum Ill. Graefe et Rust frequentavi.

Hieme superiori, praesidibus Ill. Rudolphi, Ill. Knape, Ill. Rust et Clar. Bruckert cursum anatomico-chirurgicum, nec non ducibus Ill. Rust et Cel. Kluge cursum clinico-chirurgicum, et examen approbatorium absolvi.

Iam tentamine et examine rigoroso feliciter superatis, a gratioso medicorum ordine peto, ut, defensa dissertatione inaugurali, summi in medicina ac chirurgia honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

In exanthematibus acutis praesertim febris est respicienda.

II.

Nullus morbus sine congestione sanguinis.

III.

Opium in omnibus fere morbis salubre est.

IV.

Arthritis et Rheumatismus inter se differunt.